

Rome, 1 Juin 1600.

Jacob. VI

df IX 2488

/ Serenissime rex. Per doctorem Drumondum, qui Romam Iubilaei
 causa venit, accepi litteras Maiestatis tuae plenas humanitatis et
 officii. Ex ipso autem D. Drumondo cognovi quam praeclaro ingenio,
 quam maturo iudicio, et quam insigni ac vere regia benignitate atque
 5 clementia Deus noster Maiestatem tuam ornaverit: cuius clementiae
 participes etiam esse audio maxima cum animi mei laetitia eos, qui
 religionem catholicae romanae Ecclesiae colunt, ob quae omnia in
 spem veni facile fore, ut Maiestas tua serio aliquando animum appli-
 cet ad id, quod est super omnia maxime necessarium, id est ad veram
 10 Ecclesiam cognoscendam. Nam neque extra Ecclesiam salus esse potest
 et Maiestas tua ex Evangelio novit, nihil homini profuturum, si uni-
 versum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Scep-
 trum, et diadema, purpura quoque, et opes regiae, res temporariae sunt,
 quas nec in hunc mundum, cum nasceremur, intulimus, neque potest ul-
 15 las eas post obitum retinere. Vera fides, quae per caritatem opera-
 tur, aeternae vitae, sempiternaeque felicitatis participes nos facit.
 Maiestas tua parentes catholicos Romanaeque Ecclesiae addictissimos
 habuit, educatores vero ab eadem romana Ecclesia alienos. Parentumne
 an educatorum Ecclesia verior sit, non difficulter intelliget, si
 20 vel ea verae Ecclesiae signa paulo diligentius considerare voluerit,
 quae sanctus Augustinus describit, cum in libro, quem scripsit adver-
 sus Epistolam Manichaei, sic ait: "Multa sunt, quae in Ecclesiae
 gremio iustissime teneant: tenet consensus populorum atque gen-
 tium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate
 25 aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede apostoli Petri, cui
 pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque
 ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ip-
 sum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses
 sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholi-

/ cos dici velint: quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam
 conveniatur; nullus haereticorum vel basilicam suam, vel domum aude-
 at ostendere." Haec certe omnia, quae sanctus Augustinus enumerat,
 ita quadrant in romanam Ecclesiam, ut coetibus hominum ab ea disiun-
 5 ctis nullo pacto accommodari possint. Consensio populorum, atque gen-
 tium in coetum Calvinianorum, & ut de illo solo interim loquamur,
 nulla est, cum is Coetus in Asia, atque Africa, et in maxima Europae
 parte locum nullum habeat. Auctoritas miraculis inchoata, qualis a-
 pud Calvinianos esse potest, apud quos miracula visa sunt numquam?
 10 De vetustate nihil est quod dicamus, cum nostra memoria Calviniani
 exorti sint. Successio numquam interrupta sacerdotum ab ipsa Petri
 Sede, usque ad praesentem episcopatum ne fingi quidem potest ulli
 ecclesiae convenire, nisi Romanae. Denique ipsum Catholicae nomen ita
 eminent, ac semper eminuit in Ecclesia romana, ut nulla secta illud
 15 sibi tribuere unquam ausa sit. Scio multa narrari, vel potius fingi
 a ministris de doctrina catholica longe aliter, quam veritas se habe-
 at: quae est potissima causa, cur multi populi lucem veritatis aspi-
 cere non possint: sed Maiestas tua eo iudicio, atque ingenio, per Dei
 gratiam, praedita est; ut si velit, facile possit eorum fraudes de-
 20 tegere. Ac ne longius eamus, relatum est mihi a viris fide dignis,
 ministros calvinianos in regno Maiestatis tuae publice e suggesto
 inter concionandum non semel dixisse, me revocasse omnia, quae in li-
 bris meis pro fide catholica adversus Lutheranos, et Calvinianos dis-
 putavi, atque adeo factum esse calvinianum, et quod mirabilius est,
 25 Romae a Summo pontifice propterea comprehensum, iudicatum, damnatum,
 extremo supplicio misere periisse. Quod si eiusmodi mendacia, quae
 multis millibus testium refelli possunt, ministri confingere audent;
 quid in rebus obscuris, et antiquis non audebunt? Ego enim per Dei
 gratiam, ne syllabam quidem revocavi eorum, quae scripsi adversus Lu-
 30 theranos et Calvinianos; et, Deo bene iuvante, non solum non revocabo
 sed usque ad extremum spiritum fidem catholicam romanae Ecclesiae

/ animo retinebo: nec solum vivo, sed vivo in oculis Urbis, cum dignitate longe maiore, quam voluissem: elegeram enim abiectus esse in domo Dei mei; sed placuit ei, cui obtemperare necesse habeo, dicere mihi nil tale cupienti, vel quaerenti, quin potius refugienti, et recusanti, Ascende superius. Sed nolo diutius abuti benignitate Maiestatis tuae. Longius proventus sum scribendo, quam cogitaveram; sed id fecit ardens desiderium, quo vere teneor, ne rex tantae expectationis, tam excellentis ingenii, tam praeclarae indolis, ex catholicis parentibus natus, extra sinum Ecclesiae catholicae, id est extra
 10 sortem sanctorum, in die Domini reperiatur. Quod ad negotium attinet
 (Cardinalis)
 episcopi Vasionensis; nunc quidem iustis de causis nihil obtineri potuit; sed si Maiestas tua ad fidem catholicam propius accesserit; nihil erit tam arduum, quod de Summo Pontifice, et de nobis omnibus sibi polliceri non possit. Valeat Maiestas tua felicissime. Romae,
 15 die 1 Iunii 1600.

Juvencius, Historia Soc. Iesu, P.V, l.13, n.148, p.229 s.; Fuliggatti, Epistolae familiares, l .